# De verborum

cum

# praepositionibus compositorum

usu

# Ammiani Marcellini.

Von

**Franz Naumann,** cand. probt.

Wissenschaftliche Beilage

zum Programm des Gymnasiums zu Stendal.

REALGYMNASIUM DÜSSELDORF BIBLIOTHEK

**Stendal 1891.**

Druck von Franzen & Grosses Verlag.

1891. Pr.-Nr. 247.

b

95 t 16 (1891)

247 b

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# De verborum cum praepositionibus compositorum usu Ammiani Marcellini.

Etsi emissis Eyssenhardtii et Gardthauseni editionibus, quibus certa quaestionum fundamenta constituta sunt, docti viri non defuerunt qui studiis Ammianeis non solum magnam voluptatem, verum etiam haud exiguos fructus praebentibus diligentissime incumberent aut singulas usus et elocutionis partes perscrutantes aut in textu constituendo operam collocantes aut ad quae exemplaria orationem imitando applicuisset vel quibus de fontibus sive historicis sive geographicis materiam deprompsisset exquirere studentes, tamen plus una quaestio imprimis ad res grammaticas spectans, quae tractetur et requirat, ut ad Ammiani rationem dicendi accedamus, relicta est dignissima. Elegi igitur verba cum praepositionibus composita in iisque quae ratio esset Ammianea ostendere studui in comparationem vocato, ubi licuit, cum Ciceronis et Livii, tum Taciti usu, maxime his causis adductus, ut, cum e quaestionibus iam multis de aliis scriptoribus susceptis in verbis compositis construendis scriptores sibi haudquaquam constitisse dilucide appareat, quantopere Ammianus ut natione homo Graecus et posteriorum imperatorum Romanorum temporibus vitam eamque maximam partem castrensem degens etiam in hac re ab iis scriptoribus, quos eum imitandos sibi proposuisse et a quibus rationem loquendi multis in rebus esse diversam constat, discrepet quasque habeat res cum iis communes, cognoscatur.

In locis autem laudandis secutus sum editionem Gardthauseni.

Cap. I.

## De ablativo separativo.

### A.

### Verba cum praepos. „ab de ex“ composita.[1])

Verborum cum „ab de ex“ praepos. compositorum separationem vel motum ab aliqua re exeuntem significantium structurae ratio, sicut apud omnes fere scriptores latinos, ita etiam apud Ammianum Marcellinum non una eademque est, cum praeter praepositionem — vel iteratam vel aliam, cui similis notio est subiecta — et nudum ablativum etiam dativum et accusativum sibi adiungant.

[1]) De discrimine principalis notionis praepositionum his verbis subiunctarum inspicias Schneemann: de verb. cum praepos. compos. apud Cat., Tib., Propert. structura, diss. Hal. 1881 p. 9.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iam si quis quaerat, num discrimen quoddam inter praepositionem adiectam et sextum casum illa non adhibita intercedat, id vix ex exemplis infra in conspectu positis apparet, nisi quod praepositione adscripta motus accuratius significatur vel discessus maiore vi indicatur. In dativo vero plerumque nomina personam significantia posita reperiuntur exceptis duobus verbis[1]) »detrahere« et »eximere«, quibus, perraro quidem, etiam dativus rei subiunctus est; at loco, ubi verbum »detrahere« ita obvenit »interfectorum avulsis capitibus detractas pelles« verba »interfectorum avulsis capitibus« personae loco usurpata explicari possunt ad idem redeuntia quod est »hostibus interfectis«, locis vero, quibus verbo »eximere« dativus rei apponitur, scriptor usum iam apud Livium et deinde saepius apud Tacitum occurrentem imitatus est, qui haud dubie ex analogia verborum »demo, adimo, desum et a.« iam apud optimos pedestris orationis scriptores dativum rei persaepe admittentium notionem verbi »eximere« ita amplificarunt, ut etiam dativus de rebus diceretur.[2])

Quattuor porro verbis huc spectantibus[3]) »decurrere, excedere, egredi, evadere« etiam accusativus admissus est, ubi inter structuras accusativi et ablativi praepositione vel addita vel suppressa hoc perspicuum discrimen cernitur, ut ablativus vel praepositio tum usurpetur, cum locus indicatur, unde motus proficiscitur, accusativus vero tum suum locum habet, cum verba sive proprio sive translato sensu adhibita in eandem fere notionem abeunt qua praedita sunt »decurrendo absolvere, transgredi, relinquere et alia«.[4])

Numeros denique verborum, quibus Ammianus nudum ablativum et praepositionem quandam adiecit, nobis intuentibus statuendum est etiam de Ammiano valere legem a Draegero[5]) propositam inde a Livii temporibus nudum ablativum in crebriorem venisse usum. In adhibendo ablativo similitudo, quae inter Livium Tacitum Ammianum intercedit, permagna et numeri paene pares sunt; maxime vero in hoc usu consuetudo Ammiani cum Tacitea congruit. Contra multa sunt verba, quibus Cicero praepositionem quandam, Ammianus nudum ablativum coniunxit.

His in universum disputatis sub singulis verbis differentiae structurarum verborum apud illos scriptores, ubi potui, accuratius afferentur. Sed iam ad ipsos locos enumerandos accedam.

## 1. Verba cum „a“ praepositione composita.

abscedere verbo, cui Tacitus et ubique fere Livius aut praepositionem »ab« aut ablativum praepositione omissa addunt, ita quidem, ut ille sensu translato casum solum praeferat, Ammianus et propria et translata vi plerumque nudum ablativum adiunxit; XVI, 12, 3: ut terris abscederet (Caesar) virtute sibi quaesitis et ferro. XIX, 9, 5: se (viatorem) — castris hostilibus abscessisse; XXX, 2, 3: quorum aliquos vita didicerat abscessisse. Semel praepositio »ex« legitur: XVIII, 8, 5: e medio prospectu abscessit (Antoninus), ut apud Livium XXVII, 50, 4: e foro.

---

[1]) Verbis „abripere, abstrahere, eripere, extrahere“, ubi casus dubitationem admittit, Ammianum ablativum attribuisse accipio.

[2]) cfr. Teetz: de verborum composit. apud Horatium structura, diss. Hal. 1885 p. 22.

[3]) In universum de huiusmodi verbis infra accuratius disseretur.

[4]) Ea verba, quae praeter accusativum aliam structuram non admittunt, infra congesta exhibentur.

[5]) cfr. historische Syntax der lat. Spr. I p. 461.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

abducere verbum notione translata praepositionem »ab« assumit XXII, 9, 9: nusquam a vero abductus (Julianus). Adverbium loci exstat XXVII, 12, 12: Arsacis uxorem erutam inde cum thesauris abduxit. Tacitus praepositionem »ex« usurpat, cum Cicero et Livius praepositionibus »ab de ex« utantur.

aberrare verbo Ammianus usum Ciceronianum secutus ubique praep. »ab« apposuit XXII, 10, 3: a quo ille ne aberraret, tamquam scopulos cavebat (Julianus) abruptos; XXIII, 6, 74: Ne — a proposito longius aberremus. A qua dicendi ratione Livius ita recedit, ut semel ablativum semel praep. »ex« adhibeat.

auferre verbum sequitur 1) dativus personae XVII, 13, 30: auferre barbaris regem. 2) solus ablativus XVII, 4, 13: ablatum uno templo miraculum. 3) praep. »ex« XXVI, 10, 5: abstulit (Marcellus) Serenianum e medio. Apud Tacitum non nisi structura dativi personae deprehenditur; Cicero vero et Livius verbo de personis usurpato dativum et praep. »ab«, locali sensu praep. »de« et »ex« addunt.

abhorrere verbum apud Ammianum optimos latinitatis auctores secutum cum praep. »ab« coniungitur XV, 7, 8: alia — a proposito legis abhorrentia; XX, 10, 5: sufficiet — pro multis — hoc unum ponere nec abhorrens a proposito, nec absurdum; XXVIII, 4, 32: quae longe abhorrent a studiis et voluntate veteris illius plebis. Singulis tantum locis Cicero verbum cum nudo ablativo, et Livius cum dativo iunxit (cfr. Draeger, § 219, 2). Apud Tacitum promiscue praep. »ab« et sextus casus ponuntur.

abicere verbum a Cicerone et Livio semper cum praepositionibus constructum apud A. ablativum assumit XV, 7, 9: hunc per subscriptionem abicere sede sacerdotali paria sentiens ceteris iubente principe Liberius monitus; XXV, 1, 9: abiecti sunt autem sacramento etiam alii quattuor ob flagitium simile vexillationum tribuni.

abire verbi structuram A. ad usum optimorum scriptorum latinorum accommodavit. Apposuit enim 1) praep. »ex« XXI, 15, 3: abiit e vita; XXII, 14, 7: cum — e vita abierit; XXV, 3, 15: advenit — abeundi tempus e vita; in hac dicendi formula etiam Cicero ubique praep. »ex« exhibet[1]); XXV, 8, 11: ut et dux meriti celsioris ideoque suspectus abiret e medio; XXXI, 15, 12; e medio abire. 2) nudum ablativum XXXI, 6, 4: abire negotio imperfecto. Semel adverbium loci invenitur XXI, 5, 12: hinc — abi securus. Idem est usus Taciteus; apud Livium praeterea praep. »ab«, apud Ciceronem »ab« et »de« occurrunt.

ablegare verbum A. pariter atque Cicero et Livius cum praep. »ab« coniunxit XXIX, 2, 11: cumque — ablegatos(que) ab omni huius modi conscientia ipsa viros ostenderet claros. Ita in codice Vaticano scriptum est, quod recte Gardthausenum in textum admisisse puto, cum optimum efficiat sensum. Neque vero ratio loquendi »ab omni huiusmodi« quicquam offensionis praebere debet, cum Ammianus ut etiam alii scriptores saepissime adiectiva neutri generis cum praepositionibus ita coniungat, ut ge-

---

[1]) cfr. Hildebrandt, über diejenigen Zeitwörter, welche bei Cicero, Caesar u. Livius mit dem blossen Ablativ und den Präpos. „ab, de, ex" verbunden werden, progr. gymn. Dortmund 1858 p. 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

netivus dependeat.[1]) Itaque non est quod cum Gelenio scribamus »veritas ipsa« vel sequamur lectionem vulgatam »res ipsa«.

abripere verbo, cui Cicero praepos. »ab« et »de« adiungit, cum Livius non nisi praepositionem iteraverit, apud A. semel praep. »ex« adiecta invenitur XX, 3, 1: e mundi conspectu penitus lance abrepta. Haec est scriptura codicis Vaticani, nisi quod pro »abrepta« lectione haud dubie restituenda exhibetur »aberepta«. Eyssenhardtius »luce abrepta« textui inseruit, sed quo iure vide Kiessling (Fleck. J. f. Phil. 103 p. 486). Semel forma ambigua, quam ablativum esse existimo, admissa est XX, 7, 15: abreptique sinibus matrum parvuli.

abrogare verbum dativum personae secum habet XXI, 6, 9: ut — aequo animo abrogari sibi potestatem oraret (Helpidius). Idem adscriptus est verbo

abscidere XXVIII, 6, 28: cum sibi iussas abscidi linguas didicissent (Erechthius et Aristomenes).

absolvere verbum A. ex usu optimorum latinitatis auctorum cum ablativo iunxit XXV, 3, 23: vita — est absolutns (Julianus); XXVII, 11, 1: Vulcatio Rufino absoluto vita. Tacitus praeterea uno loco praep. »de« posuit.

abstinere verbum ubique apud A. neutrali sensu dictum solitam ablativi structuram asciscit: XIX, 12, 2: nec furtis abstinuit (Paulus); XXVII, 4, 14: conluvione ciborum abstinent . . . . calidis et perenni viriditate roris asperginibus gelidis corpora constringente. Quin post vocem »abstinent« cum Gelenio et Gardthauseno lacuna accipienda sit dubitari nequit. Namque si codicem Vaticanum lacunam non praebentem sequimur, non video, quemadmodum sanus loci sensus evadat, cum conluvionem ciborum ventri ingestam corpori magis obesse quam cibos gelidos appareat. Quamobrem Eyssenhardtius loco subveniendum censet verborum ordini voculam »et« inserens. At rectius nescio an ii censere videantur, qui plura excidisse iudicant; XXIX, 2, 14: cum abstinere inconsolabili malo rogaretur; 4, 5: ut rapinis et incendiis abstinerent. Eodem modo verbum apud Tacitum constructum reperitur excepto uno loco, ubi personae praepos. »ab« addita est; contra Cicero et Livius promiscue modo adiecerunt, modo suppresserunt praepositionem »ab«.

abstrahere verbo, cui Cicero et Livius plerumque praep. »ab«, perraro »ex«, Tacitus dativum apposuerunt, Ammianus varias attribuit structuras. Sequuntur enim 1) praepositiones a) »ab« XIV, 8, 3: quem (Mobsum) a conmilitio Argonautarum — errore abstractum — mors repentina consumpsit; XV, 5, 16: cultu purpureo a draconum et vexillorum insignibus ad tempus abstracto; XXX, 6, 7: abstractisque ab ipso uberum suctu parvulis. b) »ex« XX, 4, 7: abstrahendos e Galliarum defensione pugnaces numeros; XXVIII, 1, 49: missique apparitores indicatos e latebris abstraxerunt. 2) dativus personae XX, 4, 18: abstractum sibi torquem; XXX, 7, 2: Milonem, cui mala saepe cohaerenter laeva manu retinenti vel dextra, nulla umquam virium fortitudo abstraxit. 3) incertae casus formae, quae pro ablativis mihi accipiendae videntur: XIV, 8, 10: has — provincias — regnis Armeniorum abstractas;

[1]) cfr. Hassenstein, de syntaxi Ammiani Marcellini, diss. Regimont. 1877 p. 8 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXX, 10, 21: torquem — collo abstractam. Adverbia loci exstant XX, 4, 2: Decentium tribunum et notarium misit (Constantius) auxiliares milites exinde protinus abstracturum; XXVI, 3, 3: abstractusque (Hilarinus) exinde.

avellere verbum omnibus locis cum ablativo iunctum legitur XIV, 9, 6: avulsam sedibus linguam: XVII, 4, 13: avulsam hanc molem sedibus suis; XXIII, 6, 24: avulsum sedibus simulacrum Comei Apollinis; XXIX, 5, 42: caput — eius avulsum residuo corpore. Eadem ratio apud Tacitum[1]) invenitur, cum Cicero et Livius ubique verbo praepositiones, plerumque »ab« subiecerint.

avertere verbo translata vi adhibito A. pariter atque Cicero, Livius, Tacitus praep. »ab« apposuit XXXI, 15, 14: nec quemquam furentium cruoris horrenda species — ab alacritate faciendi fortiter avertebat. Semel idem valens atque »eripere« dativus personae sequitur XIV, 2, 2: obtruncatis omnibus merces opimas velut viles — avertebant; rectius vero ablativus absolutus intellegitur.

avolare verbum cum praep. »ex« iungitur XXIII, 4, 3: ex oculis avolat (sagitta).

## 2. Verba cum „de“ praepositione composita.

decerpere verbum cum praep. »ab« construitur XX, 11, 29: proximos — albo colores a sole sublimiore decerpit (lux).

declinare in verbo construendo A. cum optimorum scriptorum dicendi consuetudine et etiam Livii plane congruit, cum praep. »ab« ponat XV, 1, 3: a iustitia declinavit; XVII, 5, 2: nusquam a genuino fastu declinans (rex Persarum); XXII, 14, 2: nusquam a proposito declinabat (Julianus). Bis adverbium »unde« legitur XXII, 9, 5: unde dextrorsus itinere declinato; XXX, 4, 22: verum unde huc declinavimus revertamur.

decurrere verbum de loco, unde quis currit, dictum semper praepositiones secum habet a) »ab« XX, 11, 22: ictus varii ballistarum tamquam per transennam a clivis structilibus decurrentes. b) »ex« XVIII, 6, 5: Hebrum ex Odrysarum montibus decurrentem. c) »extra« XXI, 1, 14: extra calcem-sermo decurrens. Apud Livium plerumque exstat praep. »ex«, semel »ab«. Ubi verbum idem valet atque »decurrendo absolvere« i. e. »durchlaufen« transitivam habet vim XVII, 13, 12: exiguo temporis intervallo decurso; XXII, 15, 9: nominum diversitate decursa; XXIV, 3, 10: decursis milibus passuum quattuordecim; 6, 2: stadiis triginta decursis; XXXI, 12, 11: decursis-viarum spatiis confragosis; 13, 7: decurso Leone.

deesse verbum semper cum dativo construitur. 1) = non esse a) dativus personae XVI, 3, 3: ne alimenta deessent exercitui per varia discursuro; XVII, 1, 13: si defuisse sibi docuerint defensores; XXII, 7, 7: curansque (Julianus) sollicite, ne arma vel indumenta aut stipendium vel alimenta deessent his quos; XXIII, 6, 46: ut — nihil eis videatur ad felicem deesse supremam; XXVIII, 1, 46: ut taurus ei (Simplicio)

---

[1]) Versatur in errore Lehmannus, de verb. comp., quae apud Sallust., Caes., Tac. leguntur, cum dativo structura, diss. Uratisl. 1863 p. 59, cum ambiguas casus formas apud Tacitum dativos esse statuat. cf. Klein, de verbis separandi apud Tacitum, diss. Hal. 1878 p. 17.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

solus deesse videretur Agrigentinus; XXX, 4, 20; non desunt advocatis incommoda plurima. b) rei: XIV, 9, 6: ita evisceratus (Eusebius) ut cruciatibus membra deessent; XXIV, 2, 12: quod rotunditati deerat. »Quod« voculam, quae in codicibus omissa est, haud dubie recte Gelenius textui iuseruit. 2) = aliquem deserere, alicui quod convenit non praestare XV, 8, 14: ego tibi quodcumque acturo non deero.

defendere verbi structuram A. usui Ciceronis, Livii, Taciti accommodavit et ubique praep. »ab« posuit XVII, 13, 4: accolas ab impetu Romanorum alveo Danubii defendit (Parthiscus); XXI, 12, 13: vallumque antemuranum-insidiantes ab omni discrimine defendebat; XXIV, 2, 14: densetisque clipeis ab ictu sagittarum defensus (imperator); 4, 13: defendendis ab incendio vel eruptionibus machinis; XXIX, 6, 18: montes soli et quicquid insularum celsius eminebat, a praesenti metu defendebatur.

deficere verbum uno loco apud Ammianum cum ratione dicendi Ciceronis, Livii, Taciti congruentem cum praep. »ab« iunctum occurrit XXI, 13, 11: qui (Gallus) cum a iustitia-defecisset.

defluere verbum vi propria et translata usurpatum praep. »ab« assumit XXII, 8, 17: Thermodon — ab Armenio defluens monte; XXV, 3, 17: quem (principatum) tamquam a cognatione caelitum defluentem. »Quem« quod in codicibus deest, editores recte in textum recepisse apparet.

defraudare verbum cum ablativo exstat XXXI, 13, 16: magna gloria defraudatos.

degredi verbum semper fere apud A. cum nudo ablativo, quem interdum Livius, ubique Tacitus usurparunt, constructum invenitur XIV, 2, 2: homines — degressi montibus impeditis et arduis. Pro codicum scriptura »omnes«, quod admodum languet, optime coniecit Kiessling (Fleck. J. f. Phil. 103 p 497) »homines«, qua leni emendatione efficitur, ut »ferae« et »homines« pulcherrime inter se opponantur, id quod comparatione postulatur. XV, 10, 10: degressurum (Hannibalem) montibus; XIX, 13, 1: saltibus degressi (Isauri) scrupulosis et inviis. Uno loco praep. »per« exstat XXIV, 4, 4: per latentem oppidi portam Persae decem armati degressi. Cicero verbo praepositiones »ab« et »de«, et Livius alias »ab de ex« subiunxit.

deicere verbum semper notione translata positum praep. »ab« assumit, cum Tacitus nudo ablativo faveat. Loci sunt hi: XX, 5, 4: numquam a proposito recte vivendi deiectus sum; XXVI, 6, 4: a celsiore statu deiectus (Procopius) ad inferiora; XXVIII, 4, 1: numquam ab humanitatis statu deiectus (Olybrius). Apud Ciceronem verbum praepositiones »ab de ex« et ablativum eumque sensu translato, apud Livium praep. »de ex« et ablativum asciscit.

demigrare verbum praep. »ab« sequitur XV, 2, 7: a Macelli fundo in Cappadocia posito ad Asiam demigrarat (Julianus) liberalium desiderio doctrinarum. Apud Ciceronem praeterea praep. »de ex« leguntur, cum Livius non nisi »ex« praebeat.

demittere verbi praepositio uno loco Ammianeo repetita invenitur XXII, 2, 4: effundebatur aetas omnis et sexus tamquam demissum aliquem visura de caelo. In libris V P legitur »dimissum« Eyssenhardtio probatum, pro quo recte scripsisse existimo Gardthausenum Accursium priscasque editiones secutum »demissum« imagini multo aptius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Verba »demittere« et »dimittere« a librariis saepissime esse permutata vix est quod moneatur.

demovere verbo subiungitur praep. »ab« adverbio »longe« addito, cui omnino in lingua latina praep. »ab« apponi solet (cfr. Kuehner II, 1 p. 349 a, 3) XX, 11, 20: munitiones a muro longe demovit (miles). A qua ratione Ciceronianum dicendi genus eo discrepat, ut praeterea praep. »de ex«, atque etiam uno loco nudo ablativo utatur a Livio et Tacito semper in usum vocato.

denegare verbum dativum personae secum habet XXV, 9, 10: Publio Scipioni-Fulvio — et Opimio — triumphi sunt denegati.

depellere verbum semel cum praep. »ab« coniunctum occurrit XXIX, 6, 12: barbari ab oppugnanda urbe depulsi. Contra Cicero praep. »ab de ex« et solum ablativum, Livius plerumque ablativum, semel praep. »ab«, Tacitus saepenumero ablativum, semel praep. »ex« admittunt.

derivare verbum cum praep. »ex« iungitur XXII, 15, 10: praeter amnis plurimos ex alveo derivatos auctore.

desciscere verbum sicut omnes scriptores latini ita Ammianus ubique cum praep. »ab« construxit XVI, 3, 3: milites qui a solitis descivere praesidiis; 7, 4: a veritate descivisse; 10, 13: plebis-nec superbae nec a libertate coalita desciscentes; XIX, 1, 6: ne — a gloriosis desciscceret coeptis; XXI, 2, 4: a quo (cultu Christiano) iam pridem occulte desciverat (Julianus); XXII, 15, 17: eaedem ferae — ab omni saevitia desciscentes; XXIX, 5, 3: ab imperii dicione descivit (Maurus); XXXI, 2, 11: adeo permutabiles et irasci faciles (Huni) ut eodem aliquotiens die a sociis nullo inritante saepe desciscant.

desilire verbo A. aeque atque Tacitus vestigiis poëtarum insistens semper ablativum apposuit; Cicero vero praep. »de«, Livius »ex« usurparunt. Loci sunt hi: XVI, 12, 35: Chonodomarius iumento — desiluit; XVIII, 8, 5: desiluit (Antoninus) equo; XXIX, 5, 15: iumento desiluit (Firmus).

desistere verbo A. sine ullo discrimine semel ablativum semel praep. »ab« coniunxit XXIII, 1, 7: intempestivo conatu desistere suadebant; XXV, 8, 4: a conatu nefario destiterunt (Persae). Infinitivus sequitur XXV, 4, 12: ni tumultuare desisterent. Etiam apud Ciceronem et Livium, quorum ille nudum ablativum et praep. »ab de« promiscue, hic plerumque nudum ablativum, rarissime tantum »ab de« posuit, in singulis structuris nulla differentia cognoscitur.

despicere verbum cum praep. »ex« usurpatur XIX, 11, 11: ex alto despiciens (princeps). Cui subiungo.

despectare frequentativum eodem modo constructum XXIV, 11, 25: quam theologi veteres fingentes Iustitiae filiam ex abdita quadam aeternitate tradunt omnia despectare terrena. Cum adverbio locali invenitur XXI, 10, 3: summitates Haemi et Rhodopes — inde Thracias despectantes et Philippopolim.

destituere verbum, cui Cicero eumque sequens Livius omnibus fere locis praep. »ab«, semel tantum ablativum addunt, A. ubique cum ablativo posuit XIV, 11, 1: auxilio destitutus (Gallus); XX, 4, 9: Julianus consiliatorum adminiculo destitutus. Sic Gardt-



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hausenus scribendum coniecit contra codicum fidem »consiliorum adminiculo« exhibentium, neque id, ut mihi videtur, necessitate coactus. Etsi ratio dicendi »consiliorum adminiculo« ab elocutione bonorum auctorum valde abhorret, tamen tenendum est usum nominum abstractorum loco concretorum adhibitorum magnopere ab Ammiano esse amplificatum, ita ut non dubitem, quin talem coniunctionem admiserit. Quantum Ammiani elocutio in hac re ab usu optimorum et posteriorum sciptorum discrepet, ostendit Hassenstein p. 12 sqq. 11, 24: alimentis destituendos forsitan cedere existimans (imperator) Persas; XXV, 2, 1: commeatibus nos destitutos; XXVIII, 6, 25: destitutusque (Palladius) fastu, quo tumebat; XXXI, 7, 4: destitutae adminiculis Galliae.

deterrere verbum A. pariter atque Cicero, Livius, Tacitus cum praep. »ab« adhibuit XXV, 1, 18: hostes a persequendi fiducia deterrere.

detorquere verbo A. plane cum Cicerone consentiens praep. »ab« adiecit XIV, 7, 21: turbidum — ingenium a veri consideratione detortum; XX, 2, 3: a veritate detorti; XXI, 12, 6: alios metu similium a proposito pugnandi detortos; XXIX, 5, 49: eos quos a pugnandi proposito pavor et verba detorserat Firmi.

detrahere verbum sensu translato iunctum invenitur 1) cum praep. »ab« XXVI, 7, 13: detractus (Valens) a deformi proposito; 2) cum dativo accusativo rei omisso XXX, 8, 10: fortibus detrahebat (Valentinianus). Sensu proprio dativus sequitur XXIII, 6, 80: cutes vivis hominibus detrahunt particulatim vel solidas; XXXI, 2, 22: interfectorum avulsis capitibus detractas pelles. cfr. Tac. An. 2, 21: detraxerat tegimen capiti. Praeter dativum apud Ciceronem et Livium[1]) praep. »de ex«, apud Tacitum semel »de« exstant.

detrudere verbum praep. »ex« asciscit XXIII, 5, 14: acrioris spiritus cursum ex aethere aliqua vi ad inferiora detrusum. Praepositiones etiam Cicero semper adhibuit, cum Tacitus nudum ablativum admittat.

deturbare verbum proprie positum cum nudo ablativo coniungitur XXVII, 1, 4: Severianum — equo deturbatum. Translata vi iterata praepositio sequitur XXIX, 1, 36: crudeliter tortus de statu robustae mentis non potuit deturbari. Cicero praep. »de, ex«, Livius »ex« usus est.

devertere verbum cum adverbio exstat XXXI, 5, 17: ea persequar unde deverti.

deviare verbo omnibus locis praep. »ab« addita est XVIII, 1, 1: ne — iudicum quisquam ab aequitate deviaret inpune; XXII, 10, 2: nec argui unquam potuit (Julianus) ob religionem vel quodcumque aliud ab aequitatis recto tramite deviasse; 11, 10: deviare a religione, XXV, 4, 16: cum deviaret (Julianus) a fruge bona.

### 3. Verba cum „ex“ praepositione composita.

excedere verbo Ammianus ut Livius triplicem structuram accommodavit. 1) praep. »ex« eamque non nisi in dicendi formula »excedere e vita« XIV, 5, 8: hocque deformi genere mortis excessit e vita iustissimus rector ausus miserabiles casus levare

[1]) Draegerum, cum Liv. XXII, 47, 3 „vir virum amplexus detrahebat equo“ ablativum accipiendum esse dicat, errare analogia ceterorum huius scriptoris exemplorum demonstratur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

multorum. In libris manu scriptis exstat pro »rector« vox »remora«, quam hoc loco apto sensu carere in propatulo est. Quare Ernstius (lib. 5 Observ. 5) coniecit scribendum esse »rector« a Gardthauseno in textum insertum; atque id mihi probatur, cum non solum efficiatur, ut bonus loci sensus evadat, verum etiam vocabulo »iustissimus« nomen substantivum, quod desideratur, addatur. 11, 27: excessit e vita; XXI, 1, 6: coniciens (Julianus) eum (Constantium) — e vita protinus excessurum; XXIII, 6, 44: excedentes — e vita. Qua in locutione praeterea 2) ut Cicero nudum ablativum adhibuit XXVI, 9, 11: Excessit — vita Procopius. Idem casus locali sensu sequitur XVII, 1, 3: ni eorum regionibus excessissent; XIX, 9, 5: antequam Romanis excederet (rex) finibus; XXII, 15, 26: antequam finibus suis excedunt (angues); 15, 31: radii excedere ipsis corporibus umbras non sinunt; XXV, 7, 8: si — princeps paulatim terris hostilibus excessisset; 9, 4: excedere moenibus. Eodem sensu 3) semel accusativus legitur XXIII, 6, 17: cum os eius (putei) excesserit (lues) latum. Reliquis locis verbum ad vim verborum »transgredi, superare« accedens accusativum assumit XIV, 9, 9: ne-modum-excedamus; XXII, 15, 32: miracula-opusculi nostri propositum excedentia; XXX, 1, 13: viator-per posterulam tramitem medium squalentem frutectis et sentibus vitabundus excedens; XXXI, 2, 1: Hunorum gens-omnem modum feritatis excedit. Apud Tacitum plerumque ablativus, raro accusativus eodem modo atque apud scriptorem nostrum admissus est.

excerpere verbum translate praep. »de« secum habet XX, 4, 3: de Scutariis — et Gentilibus excerpere quemque promptissimum — Sintula iubetur. Apud Ciceronem »de ex« reperiuntur, cum Livius tantum »ex« apposuerit.

excire verbo apud A. eaedem structurae quae apud Livium adiunctae inveniuntur 1) praep. iterata XVI, 12, 19: e cuius summitate speculatores hostium tres equites exciti; XXVIII, 1, 1: Bellona, ex primordiis minimis ad clades excita luctuosas, XXXI, 7, 12: robustissimus globus e propinquo latere fortiter excitus. 2) praep. »ab«: XXVI, 6, 15: excitum (Procopium) putares ab inferis. 3) ablativus XXVIII, 1, 5: quos (Carpos) antiquis excitos sedibus; XXXI, 11, 1: Valens — excitus Antiochia. Adverbium loci invenitur XXIV, 6, 10: excita undique humus. Eadem est ratio dicendi Taciti, nisi quod usus praepositionis »ab« deest.

excitare 1) praep. »ab« XVII, 7, 3: velut numine summo-ventos(que) ab ipsis excitante cardinibus; XXVIII, 4, 5: ab inferis excitatus (Epimenides). 2) praep. »ex« XXI, 16, 11: ille (Constantius) — ex minimis causis malorum congeries excitabat.

excludere verbo in usurpando A. usum Ciceronis et Livii plerumque praep. »ab«, rarius nudum ablativum ponentium adoptavit. 1) praep. »ab« XIX, 10, 2: praefectus — ab omni spe tuendae salutis exclusus. 2) ablativus XVIII, 7, 10: spe concepta exclusi.

excoquere verbi praepositio iterata est XVII, 8, 2: frumento ex eo, quod erat in sedibus consumendum, excoctum bucelatum.

excutere verbum secum habet 1) praep. »ab« XIV, 11, 33: alius a summo culmine dignitatis excutitur. 2) ablativum XV, 12, 1: catapultas tortilibus nervis excussas; XIX, 7, 3: sagittas tormentis excussas e muris, loco, unde tormentum iacitur, praepositione »ex«



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

indicato; XXX, 4, 21: qui — alienis gremiis excutiunt praedas; XXXI, 7, 14: glande fundis excussa. 3) dativum personae XXI, 14, 1: excussam sibi (Constantio) sphaeram; XXV, 9, 7: excussa regimenta perito rei gerendae ductori; XXVII, 8, 7: fusis — praedam excussit; XXX, 7, 8: praeda raptoribus vi fractis excussa. Nudus ablativus Tacito usitatus a classicis scriptoribus in usum non vocatus est, qui praep. »ex« et dativum admittunt.

edere verbum cum praepositionibus construitur 1) »ex« XXIX, 1, 31: ex oraculis editi (versus) Branchidarum. 2) »per« nihil fere a praep. »ex« differens XXII, 15, 26: quas aves per rostra edere fetus accepimus. Participium passivum de origine dictum semel nudum ablativum, qui primum apud Livium reperitur, XXIX, 1, 43: Diogenes — vix nobili prosapia editus; semel adverbium loci assumit XXI, 15, 6: unde edita postuma. Apud scriptores classicae quae vocatur aetatis non nisi praepositiones exstant.

educere verbum, cui optimi scriptores et Livius plerumque repetitam praepositionem, rarissime »ab« et nudum ablativum adscripserunt, apud A. praep. »de« asciscit XXIX, 1, 26: cum de vinculis educitur (Salia) audiendus.

efferre verbo sensu locali adhibito A. praep. »ab« coniunxit XXV, 9, 1: gentis suae signum ab arce extulit; XXXI, 1, 8: si a secunda particula elatus (sol) Arietis ad eam dimensione redierit terminata. Vi translata bis praep. »ultra« exstat XV, 7, 7: Athanasium — ultra professionem altius se efferentem; XXVI, 8, 3: Ea victoria ultra homines sese Procopius efferens. Contra Livius praep. »ex« et ablativum sine praepositione et Cicero praeterea praep. »ab« exhibuerunt.

effluere verbum, cuius praepositionem Cicero semper geminavit, apud A. cum nudo ablativo iunctum occurrit XXIII, 6, 19: stagno effluens fons.

effundere verbum construitur 1) cum praep. »ex« a Cicerone semper posita XV, 4, 12: omnes e castris effusi. 2) cum ablativo Taciti proprio XX, 11, 16: portis effusi (defensores); XXI, 12, 19: portis reclusis omnes effusi, ubi etiam ablativus absolutus accipi potest; XXXI, 15, 5: cum fragore caelesti imbres nubibus atris effusi. Idem usus apud Livium deprehenditur, nisi quod etiam praep. »ab« exhibuit.

egredi verbo adduntur 1) praepositiones a) »ex« XX, 4, 9: cunctos e stationibus egressos; XXIX, 5, 19: provinciae rectores tribunusque Vicatius e latibulis-egressi. b) »ab« XXI, 12, 9: expediti velites a turrium cavernis egressi, XXIX, 5, 5; ab Arelate secundis egressus (Theodosius) auspiciis; quo loco monuerim praepositionem »ab« cum nominibus urbium coniunctam apud Ammianum ut apud Livium non semper ad circumiacentem regionem esse revocandam.[1]) c) »per« XXX, 5, 17: per aliam egressus est portam. 2) ablativus XIV, 10, 1: Constantius-egressus Arelate; 11, 12: egressusque Antiochia; XXI, 7, 2: finibus orientis egressus (Constantius); 7, 7: hibernis egressus (Constantius); XXXI, 7, 1: ipse (Valens) Antiochia protinus egressurus. Ceteris locis nescio an rectius ablativus absolutus vel instrumenti accipiatur XIX, 6, 7: Galli — patefacta sunt egressi postica; XXII, 8, 49: nuntiatum est — Aquileiae defensores — patefactis portis egressos; XXIV, 2, 21: plebs omnis — patefactis egreditur

[1]) cfr. Hildebrandt s. v. egredi, Kuehnast, Hauptpunkte der Livian. Syntax, 1872 p. 186, Reinhardt, de praeposit. usu apud Ammianum, diss. Hal. 186 p. 57.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

portis; XXVI, 8, 3: patefactis subito portis egressi. 3) accusativus XXIII, 2, 3: Antiochiam egressurus, quod idem valet atque »Antiochia«. cfr. Liv. XXI, 12, 5: egredi urbem, XXXIV, 62, 12: Byrsam excesserunt; XXXVIII, 7, 1. = transgredi XXII, 15, 27: numquam sponte sua fluenta egreditur (aspis) Nili. Adverbia loci leguntur: XIX, 1, 1: egressus (rex) exinde; XXV, 3, 1: Hinc nos egressos; 10, 5: exindeque egredi nimium properans (princeps); XXXI, 8, 1: Gothi — numquam exinde per dies septem egredi — sunt ausi. Quo in verbo adhibendo Livius cum scriptore nostro plane consentit; neque usus Ciceronianus et Taciteus abhorrent, nisi quod illius elocutioni accusativus, huius praep. »ab« abest.

exhibere verbum iunctum reperitur bis cum praep. »ab« XXIX, 1, 25: modo non ab extremo Atlante magnorum criminum arguendos poscens (Pergamius) aliquos exhiberi; 2, 10: ab extremis regionum intervallis exhibitis omnibus; semel cum dativo personae XXVIII, 6, 29: necessarios sibi plures petierat exhiberi.

eicere verbi, cui Cicero et Livius praep. »de, ex« et ablativum sine praepositione vindicant, praepositionem A. geminavit XVI, 12, 51: ut e mediis saevientis pelagi fluctibus — eici nautici properant. Cui adnecto.

eiectare frequentativum, quod cum praep. »per« coniungitur XXII, 15, 10: per ostia septem — eiectatur (Nilus).

exigere verbum duabus significationibus indutum apud A. easdem structuras quas apud Tacitum assumit. 1) = »pellere« cum nudo ablativo XXXI, 12, 8: quos extorres patriis laribus rapidi ferarum gentium exegere discursus, ubi tamen ablativus melius a vocibus »extorres exegere« quasi in unam notionem coalitis dependens accipiendus est; semel adverbium loci additur XXV, 10, 12: Hinc quoque Jovianum — praescriptus vitae finiendae dies exegit. 2) = »petere« cum praep. »ab« XXXI, 5, 10: id lecturos — obtestamur, nequis a nobis scrupulose gesta vel numerum exigat peremptorum. Purissimae latinitatis auctores exhibent »ex« et »ab«, cum Livius sensu locali sine ullo discrimine praep. »ex« et nudum ablativum posuerit.

eximere verbo a classicis qui dicuntur auctoribus cum praepositionibus »de, ex« conexo A. subiunxit 1) semel praep. »ab« XIX, 12, 17: a quaestionibus vel cruentis nullam Corneliae leges exemere fortunam. 2) ablativum XVIII, 2, 13: nisi quos exemit discrimine temporis obscuritas; 8, 13: hoc periculo murorum nos propinquitas eximebat; XX, 4, 6: ut se militari eximeret turba; XXI, 12, 11: quos (pedites) morte — velocitas exemerat pedum; XXII, 8, 14: Amyci saevitia Bebryces exempti virtute Pollucis; XXVIII, 2, 4: castra praesidiaria, inquietudine urgentis amnis exempta; XXIX, 3, 7: nec Sallustius morte exemptus est; 5, 14: ipse equi pernicitate aegre discrimine mortis exemptus est; XXXI, 11, 4: praeter paucos, quos morte velocitas exemerat pedum; 13, 14: dedecore captivitatis exemptum (Valentem). Idem casus, quamquam forma ipsa dubitationem admittit, accipiendus videtur esse ex analogia exemplorum modo allatorum etiam hisce locis XIV, 2, 20: ad eximendum periculo civitatem amplam et oportunam; XVI, 12, 55: quidam — eximi se posse discriminibus arbitrati; XVII. 2, 4: ad quos eximendos periculo; XIX, 11, 13: nondum enim exemptum (imperatorem) periculis aestimavit (exercitus); 12, 13:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hos quidem aliosque paucos aequa sors veritatis adiutrix periculis eximit abruptis; XX, 8, 21: malis se, quae suspicabatur, exemit (Florentius); XXI, 6, 4: exemptum periculis — Julianum; XXII, 3, 6: Florentius — cum coniuge periculis exemptus; XXVI, 8, 12: cuius (matronae) verecundia et destinatio gloriosa abruptis postea discriminibus maritum exemit; XXVIII, 1, 11: omnes quos iuris prisci iustitia divorumque arbitria quaestionibus exemere cruentis; 6, 13: nisi quos fuga discriminibus eximeret; XXIX, 5, 48: si discriminibus eximi vellent, quae perferebant; 6, 8: Hoc casu prospero regia virgine periculo miserae servitutis exempta; XXX, 7, 10: Africam — malo repentino perturbatam discriminibus magnis exemit; XXXI, 13, 9: parique modo Richomeres periculo semet exemit et Saturninus. 3) bis in eadem dicendi formula, in qua etiam ablativus admissus est, dativum rei codicibus firmatum. qui usus inde a Livii temporibus magis magisque increbrescens saepissime in Taciti [1]) libris obvenit XV, 4, 12: nisi quos fuga exemerat morti; XVII, 12, 5: quos exemit celeritas morti. Alias apud Livium plerumque nudus ablativus et apud Tacitum uno loco praep. »ex« occurrit.

Occasione data addere mihi liceat exempla verbi »adimere«, cui Ammianus ut omnes scriptores latini dativum apposuit XIV, 7, 12: post statuas Constantii deiectas super adimenda vita praefecto conveniet securius cogitari; XVII, 5, 11: suades integro corpori adimere membra quaedam; 13, 16; Placuerat — cunctis adimi posse spem omnem vitaeque solacium; XXIX, 5, 31: aliisque — quibus manus ademptae sunt, contruncatis; XXX, 1, 18: doli struebantur in dies, ut per vim ei (Parae) vel clam vita adimeretur.

exire verbum sequitur 1) praep. »ab« cum nomine urbium iuncta XXVI, 6, 20: ab Emesa Heliogabulus exivit Antoninus; 2) »per« XXX, 5, 17: per portam voluit — exire. Semel adverbium loci reperitur XIV, 11, 16: inde aliis super alias urgentibus litteris exire. Etiam Cicero et Livius semper fere praepositiones, perraro tantum nudum ablativum adhibuerunt; quacum loquendi ratione Tacitus quoque congruit, nisi quod bis, ubi verbo alia vis subiecta est, accusativo usus est.

elicere verbum, quod apud Ciceronem et Livium etiam de personis dictum cum praepositionibus, plerumque »ex«, rarius »ab« iungitur, apud A. nisi cum dativo personae non deprehenditur XVIII, 3, 9: ne eis (anseribus) eliciat vel necessitas extrema clangorem; XXII, 16, 23: quae (tormentorum vis) obdurato illius tractus latroni invito elicere potuit, ut nomen proprium dicat.

elucere verbo adiungitur semel praep. »ex« ubique a Cicerone usurpata XVI, 12, 36: elucebat quidem ex oculis furor; semel praep. »inter« XXX, 7, 11: inter quae illud elucere clarius potuit.

emergere verbum a Cicerone et Livio semper cum praep. »ab de ex« positum (cfr. Kuehnast p. 169 Anm.) Ammianus ubique fere cum repetita praepositione exhibet XIV, 9, 1: accusatores quaesitoresque — ex isdem foveis emergentes; XV, 2, 9: nec defuere deinceps ex his emergentia casibus; XXI, 1, 10: Tages — in Etruriae partibus

[1]) Loco Taciteo An. 3, 18 „ne nomen Pisonis fastis eximeretur" contra Lehmannum cum Kleinio p. 17 facere malim „fastis" dativum interpretante.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

emersisse subito visus e terra; XXII, 15, 26: qui (angues) ex trabicis emergunt paludibus; XXIII, 6, 73: quorum (montes Arbitani) ex pedibus imis emergentes alii fluvii; XXIV, 4, 3: ex ipso vitae discrimine tandem emersit; XXVI, 1, 13: hocque ex coepto emerserunt alia plurima, quae fallebant; 7, 7: emergebant ex vulgari faece non nulli; XXVIII, 1, 8: Principium autem unde latius se funditabat (Maximius), emersit e negotio tali. Ad idem fere redit praep. »per« XXVI, 6, 15: ut in theatrali scaena simulacrum quoddam insigne per aulaeum vel mimicam cavillationem subito putares emersum. Ablativus praepositione non addita, quem a Tacito primum esse usurpatum Draegerus (h. Synt. I, p. 471) docet, uno loco legitur XIX, 8, 11: terrigenas illos non sinibus terrae emersos. In codicibus et priscis editionibus scriptum est »finibus terrae«, quod tuetur Eyssenhardtius. Quae lectio num ferri possit admodum dubius sum; nam verba »finibus terrae« idem quod voces »humo exsiluisse«, quae paulo post leguntur quibusque respondere debent, vix valere possunt. Itaque Gelenio eumque secuto Gardthauseno adstipulor facili mutatione ponentibus pro »finibus« vocem »sinibus«, qua sensui optime satisfit. Ceteris locis adverbia loci inveniuntur XXIII, 6, 18: unde (foramen) emergens — noxius spiritus; XXX, 9, 1: unde Brittannici strepitus et Africanae clades et vastitas emersit Illyrici.

eminere verbo Ammianus usum Ciceronianum secutus praepositionem »ex« uno loco coniunxit XXIII, 4, 1: cuius (regulae) ex volumine tereti-quadratus eminet stilus. Alias ubi verbum idem valet quod »praestare, excellere« praepositiones sequuntur a) »inter« XIV, 1, 3: eminuit autem inter humilia — nefanda Clemantii cuiusdam Alexandrini nobilis mors repentina; 5, 6: Inter quos Paulus eminebat notarius; XV, 3, 4: inter quos facile Paulus et Mercurius eminebant; 7, 4: agnitum quendam inter alios eminentem interrogavit (Leontius); 11, 10: qua Ambiani sunt urbs inter alias eminens; XVI, 10, 14: quicquid viderat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat (Constantius); XVII, 7, 1: inter monumenta — multiformium aerumnarum eminuere Nicomediae clades; XVIII, 9, 4: armorum viriumque firmitudine inter alios eminentes; XIX, 11, 16: mors tamen eminuit inter alios Cellae Scutariorum tribuni; XXI, 16, 14: illud vero eminere inter praecipuas laudes; XXII, 8, 36: inter quas (civitates) eminet Eupatoria et Dandace; 16, 12: inter quae (templa) eminet Serapeum; 16, 16: inter quos (scriptores) Chalcenterus eminuit Didymus; XXIII, 6, 23: inter quas (urbes) Apamia eminet — et Teredon et Apollonia et Vologessia; 6, 26: inter alia (oppida) — eminet Susa — et Asiana et Sele et Aracha; XXV, 1, 19: eminuit — inter varios certaminum casus Vetranionis mors; XXVI, 10, 7: inter quos eminebat Araxius; XXVII, 7, 5: Eminuit — inter alias humilium neces mors Dioclis; XXVIII, 6, 3: Stachao — agebat quaedam vetita legibus, inter quae illud potius eminebat; XXIX, 5, 13: inter quos clades eminuere fundi Petrensis. b) »in« XXXI, 13, 18: In hac multiplici virorum iulustrium clade Traiani mors eminuit et Sebastiani. Apud Livium semel praep. »ab«, praeterea etiam »inter, per« occurrunt.

emittere verbum, quod apud Ciceronem ubique praep. »de ex« secum habet, in libris Ammianeis assumit 1) praepositiones a) semel »ex« XXV, 6, 14: tamquam e tran-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

senna simul emissi; b) »per« XIV, 7, 4: quam (mulierem) — per regiae ianuas emisit in publicum: XXV, 1, 12: per suppremitates narium angusti spiritus emittuntur. 2) ablativum eumque semper in locutione »arcu emittere« XXIII, 4, 15: emissa (sagitta) — arcu invalido; 6, 37: emissum (telum) — laxiore arcu; XXXI, 15, 11: mandatum est ut nervis — ante iactum incisis emitterentur arcu sagittae. Alias adverbia loci leguntur XIX, 6, 6: tormentis ad emittenda undique saxa telaque dispositis; XXXI, 15, 6: ad emittenda undique tela vel saxa. Iam apud Livium praeter praep. »de ex per« exstant exempla nudi ablativi, qui solus a Tacito usurpatus est.

exordiri verbum constructum reperitur 1) cum praep. »ab« XIV, 4, 3: quarum (gentium) exordiens initium ab Assyriis; XV, 11, 7: secunda Germania prima ab occidentali exordiens cardine; XXVIII, 4, 1: exorsus ab Olybrii praefectura tranquilla nimis et leni: XXXI, 8, 6: ab ipsis tractibus, quos praetermeat Hister, exorsi; 16, 9: a principatu Caesaris Nervae exorsus ad usque Valentis interitum pro virium explicavi mensura. Huc non referendus est locus XXI, 3, 1: didicit (Julianus) — Alamannos a pago Vadomarii exorsos — vastare confinis Raetiis tractus, ubi praep. »ab« cum casu suo ad vocabulum »Alamannos« pertinens originem significat. Exempla huius usus ab aliis scriptoribus sumpta satis multa congesserunt Hand II, 618; Draeger I, 634; Drakenb. ad Liv. XXXV, 32, 4. 2) cum ablativo praepositione omissa XXVI, 7, 8: ausa ingentia vel iustis exorsa primordiis. Adverbia loci leguntur XV, 10, 11: indeque exorsus; XXV, 10, 6: hinc — exorsi. Infinitivus sequitur XXVI, 6, 18: pauca — interrupta et moribunda voce dicere iam exorsus (Procopius); XXVIII, 2, 6: fodereque per militem, quem duxit, fundamenta exorsus (Arator); XXIX, 1, 25: dicere audacter exorsus (Pergamius); 2, 22: regere Asiam proconsulari potestate exorsus (Festinus); XXX, 7, 5: Valentinianus — inperitare exorsus.

exoriri verbum cum praep. »ab« coniunctum legitur XVI, 12, 43: qui clamor — a tenui susurro exoriens; XXIII, 6, 72: ab Indo fluviorum maximo — amnis multo minor exoriens. Cum adverbiis loci XV, 5, 1: Exoritur iam hinc — calamitatum turbo novarum; XVI, 12, 27: unde dispositum erat ut abditi repente exorti cuncta turbarent; XXIII, 6, 71: inde exoritur (Arabius); XXIV, 4, 29: inde exorta (manus). Infinitivus exstat XXVII, 3, 10: aedificia erigere exoriens nova

expedire verbum bis cum nudo ablativo construitur XVI, 4, 3: cum — opposita multitudine malis obsidionalibus expediri deberet (civitas); XVIII, 8, 8: dumque se quisque expedire discrimine magno conatur. Apud Ciceronem etiam praep. »ab« admissa est.

expellere verbo sicut Tacitus ita Ammianus ubique nudum ablativum addidit XV, 5, 37; ut Croesum legimus ideo regno suo Solonem expulisse praecipitem quia blandiri nesciebat; 9, 4: Drasidae memorant — alios — crebritate bellorum et adluvione fervidi maris sedibus suis expulsos; XIX, 11, 1: Limigantes Sarmatas, quos expulisse paternis avitisque sedibus dominos suos ante monstravimus; XXVII, 5, 10: Athanaricus proximorum factione genitalibus terris expulsus; 11, 3: natantium genus elemento suo expulsum. Contra Cicero saepissime praep. »ex«, raro »ab« et nudum ablativum exhibuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

expetere verbum cum praep. »ab« exstat XXII, 11, 11: expetiturus (imperator) poenas a noxiis ultimas.

exprimere verbum cum dativo coniungitur, quo praeter praep. »de, ex« optimae quoque latinitatis auctores utuntur XIV, 1, 6: laudes —, quas invitis conpluribus formido malorum inpendentium exprimebat; XVII, 3, 5: factumque est —, ut praeter solita nemo Gallis quicquam exprimere conaretur; XXVIII, 1, 56: cum iam contigua morti tormenta ancillae voces expressissent obliquas.

erigere verbi praepositio repetita est XXIV, 2, 13: ipsi (prohibitores) ex edito arcus erigebant.

eripere verbo A. praeter dativum personae, qui casus apud Tacitum ubique etiam de rebus positus est, ablativum sine praepositione adiecit. 1) dativus exstat XV, 5, 36: cui (Remigio) multo postea Valentiniani temporibus laqueus vitam in causa Tripolitanae legationis eripuit; XXIV, 3, 7: animam quam mihi febricula eripiet una; XXIX, 5, 55: ereptamque sibi gloriam gemens (Igmazen). 2) ablativus XVII, 12, 15: aliena potestate eripi Sarmatae iussi; XXIX, 2, 5: morte ereptus (Bassianus); XXX, 8, 3: ita erat (Valentinianus) effusior ad nocendum ut nullum aliquando damnatorum capitis eriperet morte subscriptionis elogio leni. Hic quoque inserendum esse censeo locum XXX, 5, 8, qui sic codicibus traditum est »nocteque, quam lux eruptura eum vita secuta est«. Haec verba, etsi omnibus libris omnibusque editionibus exhibentur, quid sibi velint, vix quisquam intellegat. Comprobo igitur coniecturam, quam in textu poni C. F. Mueller (Fleck. J. f. Phil. 107) vult, »ereptura«, quae sententiae loci optime subvenit. Ex analogia verbi »eximere« pro ablativis accipiendae videntur mihi haec quoque non apertae formae verbo »eripere« adscriptae XIX, 3, 2: catulos periculo ereptum ire non audens (leo); XXV, 5, 3: nonne-militem instantibus aerumnis eriperetis?; XXVI, 5, 12: quas(urbes) praesens eripere poterit discriminibus maximis; XXX, 4, 7: Cicero, orationis imperiosae fluminibus saepe depressos aliquos iudiciorum eripiens flammis; 16, 18: orientales provinciae discriminibus ereptae sunt magnis. Ablativus, perraro quidem, iam apud Ciceronem deprehenditur, cum plerumque praep. »ab, de, ex« et dativum usurparit; contra Livius praeter dativum verbum non exhibuit nisi cum repetita praepositione coniunctum.

eruere verbi praepositionem A. ut Cicero et Livius geminavit XXIX, 1, 41: ex domibus eruti (codices) variis ut inliciti. Nudus vero ablativus a Tacito admissus, quae structura est poëtica, apud A. non legitur.

erumpere verbo A. nudum ablativum sermonis Taciti proprium et praep. »ab« apposuit. Sequitur 1) »ab« XVIII, 9, 3: quos tirones tum etiam novellos — erupisse a Singara — rettulisse; XXX, 4, 14: cum inmature a litterariis eruperint ludis; 16, 5: Saracenorum cuneus — a civitate — erupit. Simili modo semel »per« adhibetur XXI, 12, 13: qui erumpebant clanculo per posticas. 2) ablativus XX, 11, 22: reserata latenter postica, — valida manus erupit; XXIV, 5, 8: multitudo patefactis subito portis erupit; XXVII, 12, 7: secretis conloquiis ordinarunt — reclusis subito portis validam manum erumpere, — nisi his locis rectius ablativi absoluti accipiendi sunt; XXII, 8, 44: amnis — Danubius — septem ostiis — erumpit in mare, ubi etiam de ablativo instrumentali vel viae cogitari

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

potest. Adverbium loci reperitur XV, 10, 11: ut Hasdrubalem exinde similiter erupturum arceret (Scipio). Cicero vero praepositionem semper repetivit, cum apud Livium »ab, ex« et nudus ablativus inveniantur.

exsertare verbum cum praep. »per« legitur XIV, 9, 3: reginae exertantis aurem subinde per aulaeum.

exsilire verbum apud Ciceronem praep. »de« assumens construitur 1) cum praepositionibus a) »ex« XV, 4, 8: . . . . . visi e latebris hostes exiliunt. Lacunam, quae exstat in codicibus, haud inepte mihi explere videtur Guentherus[1]) scribendo »improvisi«. XXI, 9, 6: e navi exiluit (Julianus) inprovisus; XXIII, 6, 24: ex adyto quodam concluso a Chaldaeorum arcanis labes primordialis exsiluit, ubi altera praepositione »ab« locus, unde labes exit, accuratius significatur; XXVIII, 6, 28: exiluerunt Erechthius et Aristomenes e latebris. b) »ultra« XXII, 9, 1: nec barbarorum quisquam ultra suos exsiluit fines. 2) cum ablativo praepositione suppressa XIX, 8, 11: humo exsiluisse; 13, 1: ut solent verno tempore foveis exilire serpentes; XXVII, 12, 8: civitatis aditu reserato iuventus exsiluit velox, melius vero »aditu reserato« accipiendum esse censeo pro ablativo absoluto; XXVIII, 4, 30: si futura concertatione — carceribus non exiluerit princeps; 6, 4: ferarum similes rabie concitarum exsiluere sedibus suis.

exsistere verbum a bonis scriptoribus cum praepositione quadam exhibitum (perraro tantum Cicero ablativum nudum usurpavit) Ammianus semel cum iterata praepositione construxit XXIX, 1, 42: Maximus ille philosophus — cuius ex uberrimis sermonibus ad scientiam copiosus Julianus exstitit imperator. Cum adverbio loci XV, 3, 3: unde rumorum aucupes subito exstitere conplures.

exsurgere verbum coniungitur 1) cum praepositionibus a) »ex« XVI, 5, 5: nocte dimidiata semper exsurgens non e plumis vel stragulis sericis ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete et σισύρᾳ. b) »ab« XXIII, 4, 5: ab hac medietate restium ligneus stilus exsurgens obliquus; 6, 70: Ortogordomaris — a Bactrianis exsurgens. 2) cum ablativo XXII, 8, 11: qua sol oceano exsurgit eoo. Adverbia loci exstant XXIII, 6, 17: unde (hiatus terrae) halitus letalis exsurgens; XXVII, 4, 7: unde eoum iubar exsurgit.

extendere verbum praep. »ab« secum habet XV, 10, 6: a summitate autem huius Italici clivi planities ad usque stationem nomine Martis per septem extenditur milia.

exterminare verbum a Cicerone uno loco, quo idem valet atque »pellere«, cum ablativo conexum apud A. sensu translato eundem casum assumit XXV, 3, 18: licentiam omnem actibus meis exterminans (Julianus). Alioquin verbum apud optimos scriptores praep. »ab, ex« sequuntur.

extorquere verbum cum dativo personae coniungitur XVI, 12, 14: extortam sibi victoriam; XVII, 3, 5: incrementa, quae nulla supplicia egenis possent hominibus extorquere.

extrahere verbo a Tacito[2]) cum dativo, a Cicerone et Livio cum praep. »ex« posito Ammianus semel praep. »ab« adiunxit XXVI, 9, 9: a frutectis — extractus (Perpenna). Reliquis

[1]) cfr. quaest. Ammianeae criticae, diss. Götting. 1888 p. 15.

[2]) Ablativos statuendos esse Draegerum falso censere Lehmanno p. 60 et Kleinio p. 13 sq. assentimur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

locis ubique ablativos intellego XV, 4, 8: periculoque praesidio tenebrosae noctis extracti; 5, 31: Silvanum extractum aedicula; XVII, 13, 12: peremptorum necessitudines — humilibus extractae tuguriis; 13, 13: nec quemquam casa vel trabibus conpacta firmissimis periculo mortis extraxit; XVIII, 6, 16: Hoc extracti periculo; XXIV, 5, 4: Nabdates — quem extractum — latebris expugnatae docui civitatis: XXV, 1, 2: extrahere pugna; 8, 3: discrimine — extracti; XXVII, 6, 4: vixque se mortis periculo contemplans (imperator) extractum; XXIX, 6, 14: ni periculo mortis aliquos citum extraxisset effugium. Semel adverbium loci XIX, 6, 2: unde (munimenta) hominum milia extracta complura.

extrudere verbum, quod apud Tacitum cum praep. »ex« iunctum invenitur, cum adverbio locali exstat XXXI, 4, 13: Sarmatis inde extrusis.

exuberare verbum omnibus locis cum ablativo qui vocatur copiae legitur XV, 4, 2: copiis exuberans (Rhenus) propriis; XVIII, 4, 4: coluber copia virus exuberans; XXII, 15, 14: Exuberat Aegyptus etiam pecudibus multis; XXIII, 6, 50: quorum (venatuum) varietate inmane quantum exuberant; 6, 65: satietate frugum et pecoribus et arbustis exuberat (tractuum ingenium).

exuere verbum ut pluries Tacitus ita Ammianus cum nudo ablativo construxit. 1) = liberare, solvere XVI, 6, 3: vinculis sunt exutae personae quae stringebantur ut consciae; XIX, 6, 4: exuta (urbe) periculis; XXII, 14, 5: abi — exutus omni metu; XXVIII, 2, 9: irati sententia principis sacramento exutus (Syagrius). 2) = privare XXIX, 2, 5: patrimonio opimo exutus est (Bassianus); XXXI, 8, 8: eum puncto temporis brevi opibus exutum et dulcedine caritatum. Cum accusativo, cuius rationis Tacitus permulta exhibet exempla, bis apud A. verbum usurpatur; XV, 1, 2: exuto — Gallo; 13, 2: exutis patrimoniis.

exundare verbum cum ablativo copiae adhibetur XIV, 6, 18: paucae domus studiorum seriis cultibus antea celebratae nunc ludibriis ignaviae torpentes exundant; XIX, 8, 1: ira et dolore exundans (rex).

evadere verbum, cui notione et propria et translata posito Tacitus ubique accusativi structuram dedit, A. semel eodem modo construxit XXX, 7, 11: postquam eum (Macrianum) evasisse Burgundios — didicisset. Praeterea inveniuntur semel praep. »per« XXV, 8, 18: Jovianus —, quem in obsidione civitatis Maiozamalchae per cuniculum docuimus evasisse cum aliis: semel ablativus XIX, 8, 5: postica-evado, ubi ablativus instrumenti vel viae intellegendus est. Boni scriptores praep. »ex« adhibere solent; at exstat etiam apud Ciceronem praep. »ab«. In libris Livianis nudus ablativus et accusativus admissus est.

evehi verbo praepositio »ab« apposita est XVI, 6, 1: a gregario ad magnum militiae culmen evectus (Arbetio).

evenire verbum adverbium loci secum habet XV, 3, 6: quod unde eveniat rerum scientissimis relinquamus.

evolare verbum iungitur bis cum iterata praepositione, qua etiam usi sunt Cicero et Livius XXIII, 2, 3: omnes evolant ex hibernis; XXIV, 6, 5: evolant e conspectu quinque subito naves.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

evolvere verbum, cui in optima latinitate et a Livio semper praepositiones adduntur, apud Ammianum ablativum Taciti demum aliorumque aetatis argenteae scriptorum proprium assumit XV, 2, 10: periculo evolutus (Gorgonius); XVI, 12, 59: equo est evolutus (Chonodomarius).*)

*) Scribendi finem facere exiguitate spatii mihi concessi coactus reliquas commentationis partes alio loco in medium proferam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

evolvere verbur semper praepositiones adduntur, apud Ammian que aetatis argenteae scriptorum proprium a (Gorgonius); XVI, 12, 59: equo est evolutus

*) Scriben i coactus reliquas commentationis partes alio loco in medium prof

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf